

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1866

**Auteur(s) :** Jean Ier de Neuville, Sées (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Sées (collégiale)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1131

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jean, évêque de Sées, établit les chanoines réguliers au lieu des chanoines séculiers à l'église cathédrale de Sées.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Sagiensis, n° VII, col. 160-161.

Texte établi d'après a

Joannes, Dei gratia Sagiensis ecclesiae episcopus, Garino priori, et fratribus in eadem Sagiensi ecclesia sub regula B. Augustini canonicis professis, eorumque successoribus sub eadem professione regulariter viventibus in perpetuum. Quandiu autoritate episcopali fungimur, et curam sollicitudinemque sanctae ecclesiae, licet minus digne tractamus, justis actionibus insistere, maximeque sanctae religioni aedificandae nostrum studium atque diligentiam adhibere debemus ; et quorum mens atque anima una in Domino legitur, et quorum vita atque sinceritas in caelestibus conversatur, eorum paci et quieti oportet intendere, ut unitatem sancti Spiritus in vinculo pacis possint servare. Quapropter Sagiensem ecclesiam jamdudum et per multa tempora divino atque debito officio valde destitutam, annuente Dei gratia totis nisibus in meliorem statum reducere, atque in regulare propositum ordinemque transformare laboravimus. Primum siquidem per apostolicas literas, hoc est, autoritate et consilio reverendae memoriae Honorii papae, necnon et consilio atque concessione bonae memoriae Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi ; insuper et favore et consilio Henrici venerabilis regis Anglorum ac ducis Normannorum, fratres in eadem Sagiensi ecclesia sub paupertate Christi aggregavimus, eosque ibi dudum aluimus ; deinde post multas difficultates, per Dei misericordiam inventa atque in capitulo confirmata opportunitate sanctae pacis et concordiae, cum clericis ejusdem ecclesiae Sagiensis (convenimus) ut fratres qui causa religionis convenerant, eorumque successores in ecclesia illa libere et absolute omnipotenti Deo deservirent, et praebendae quae vacuae erant, et aliae, sicuti unusquisque clericorum deficeret, statim in communes usus praedictorum fratrum cessissent. Quod diu ardenti desiderio nostra sollicitudo quaesierat, omni diligentia peragere festinavit ; idus ergo Martii, id est ea Quadragesimae die, quae Dominica vacat intitulatur, praesentibus ejusdem Sagiensis ecclesiae clericis atque annuentibus, ego Joannes Sagiensis ecclesiae episcopus, habitu sanctae religionis jam suscepto, designatis fratribus qui causa communis vitae convenerant, eidem ecclesiae beatorum martyrum Gervasii et Prothasii seipos devotentibus, atque sub regula B. Augustini in eadem ecclesia se vivere profitentibus, habitum sanctae religionis solemniter et cum benedictione tradidimus. Idcirco, dilectissime fili in Christo Garine prior ecclesiae Sagiensis, tibi ceterisque fratribus in ecclesia eadem omnipotenti Deo regulariter famulantibus, vestrisque in perpetuum sub eadem regula atque professione sancti Augustini successoribus, auctoritate Dei et nostra, damus vobis atque concedimus potestatem in ecclesia Sagiensi divinum officium cum reverentia Christi et devotione peragere, atque

observantiam sanctæ religionis secundum sanctas scripturas ibi tenere: præbendas quoque vacuas, et alias omnes sicuti unusquisque clericorum Sagiensis ecclesiæ, qui eas possident, decesserit, ita ut sine omni dilatione atque calumnia, in regulares usus vestros atque communes statim proveniant, vobis eas concedimus atque damus. Decernimus quoque atque constituimus, ut archidiaconi Sagiensis ecclesiæ, de vestris fratribus, vel vestro capitulo, vestroque consilio ab episcopo eligantur, et beneficia, et redditus, et quidquid eis de archidiaconatibus provenerit, in vestros regulares usus atque communes redigantur. Postquam autem Archidiaconus ad Sagiensem villam accesserit, ad nullum locum, nisi ad communem domum fratrum suorum divertendi habeat licentiam ; secundo postquam venerit, modum et ordinem aliorum exsequatur, et nisi licentia sui superioris postea non egrediatur: de excessibus vero suis, quemadmodum et alii fratres, in capitulo satisfaciatur: quo si culpa talis fuerit, adhibito episcopi consilio, iudicio sui prioris et fratrum suorum in capitulo deponatur. Insuper concedimus vobis atque confirmamus terram quam Henricus rex Anglorum dedit in Anglia ecclesiæ beatorum martyrum Gervasii et Prothasii in dedicatione ipsius ecclesiæ, et quæcumque deinceps futuris temporibus donatione regum, liberalitate principum, Dei annuente gratia, vel quolibet modo aliquid juste acquirere poteritis, vobis et successoribus vestris firma et inconcussa permaneant. Concedimus atque firmamus possessiones vestras, et omnia ad communes usus vestros pertinentia, ab omnibus angariis, vexationibus, perturbationibus, atque ab omnibus exactionibus omnino esse libera atque quieta, auctoritate Dei et nostra constituimus, decernimus atque firmamus. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam sciens obviare tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi resipuerit, atque canonice satisfecerit, auctoritate Dei et nostra a liminibus sanctæ ecclesiæ arceatur et a sacratissimo corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Facta est autem atque firmata suprascripta confœderatio nostræ institutionis anno Incarnationis Dominicæ 1131, Henrico in Anglia regnante, Innocentio papa secundo Ausoniæ cathedræ præsidente ; quæ ut certior et firmior habeatur, eam postea scripto inseri et sigillo nostro muniri fecimus.